

Hab. prope Salonas ad viam quae Iragurium ducit, et ad sacellum D. Caji. Fl. Junio.

Obs. Flores citrini. Squamis omnino viridibus non aridis scariosis, foliisque simpliciter pinnatifidis ac fere pinnatis, foliolis integris obtusissimis apicem versus latioribus discriminatur a *C. tatarica*, cui videtur affinis.

37. *Picris laciniata* mihi.

P. multicaulis, setis hamoso-bifidis patentibus hirta, caulibus angulosis sulcatis diffusis, apice ramosis, foliis oblongo-lanceolatis remote profunde incisis, laciniis lanceolatis mucronulatis integris, inferioribus basi attenuatis, superioribus sessilibus, summis cordato-oblongis amplexicaulibus integris acuminatis, floribus dichotome paniculatis, pedunculis incrassatis, involucrio patente. 24 v. v.

Onaei et Ascrivii in rupestribus. Julio.

Plures adhuc species detexi, quarum partem, deficientibus bibliothecae herbariique subsidiis, non dum satis tute pro novis audeo proponere; pars autem fere eodem tempore inventa et descripta fuit ab egregio et solertissimo stirpium sicularum indagatore Doct. Johanne Gussone in suo *Florae siculae Prodromo*, et inter plantas rariores Aprutii et Calabriae, uti *Secale montanum*, *Lithospermum incrassatum*, *Polygonum controversum*, quod tamen non bene distinctum a *P. arenario* Kit., *Phyteuma collinum*, aliasque.
